



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**PSALTE=||RIVM DAVIDIS || CARMINE REDDITVM || PER
EOBANVM || HESSVM.||**

Hessus, Helius Eobanus

Lipsiae, 1557

VD16 B 3198

Psalmvs XII. Domine saluum me fac &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69301](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69301)

Hoc ipsis uelut implebit sua pocula uino,
 Ipsorum hæc meritis præmia iusta dabit.
 Iusticiæ Deus autor, amat qui iusta probantes,
 Dedita iusticiæ pectora semper habent.

PSALMVS XII.

Domine saluum me fac &c.

ARGUMENTVM.

Hic Psalmus proprie est precatio pro Ecclesia & uero Dei cultu, qui in uerbo Dei est positus, ut Deus uerbū Ecclesiæ conseruet, & impios doctores perdat, secundum sententiam: Orate Dominum misis, ut mittat operarios. Et est elegans Psalmus.

Sunt quibus humanos placeant inuenta per usus,
 Atq; ea diuinis anteferenda putent.
 Quos, qui prætextu turbant sacra dogmata falso,
 Vitandos tanquam toxica uera monet.

Vincenti in octochordo Psalmus David.

Huic ades hic succurre tuis mitissime diuū,
 Namq; est sanctorum turba pusilla super.
 Defecere boni ueræ & pietatis amantes,
 Non est in cunctis Gentibus ulla fides.
 Friuola concinnant linguis & uana loquuntur,
 Turba malis socios fallere docta dolis.
 Blanda susurrantis texunt mendacia linguæ,
 Et quæ uox loquitur, pectora falsa negant.
 Perdat adulantes linguas Deus, arceat omnes
 Perpetuo assuetos nil nisi magna loqui.

B 5

Qui

Ἐπιφώνημα
 consolatoriū,
 quod Deus ius-
 tos, quantum-
 uis in mundo
 contentos nō
 negligat.

Propositio
 precatiois, ut
 Deus respiciat
 Ecclesiam, at-
 textit autem
 causas, quod
 impietas quo-
 tidie crescat
 in doctri-
 na, tū in uita.

Votum.

Qui sibi persuadent nil se non posse loquendo,
 Nec metuunt secum talia uerba loqui:
 Lingua potens est nostra satis, nos magna loquemur,
 Quis Dominus nobis quem uereanur erit?
 Sed quoniam miseri pereunt & ab hoste premuntur,
 Quorum aures, gemitus, uenit ad usq; meas:
 Tempus ut exurgam nunc est, Deus inquit, ut ipsis
 Non dubia possim ferre salutis opem.
 Nempe feram, laqueoq; pios quo uincit hostis,
 Eripiam, tuti uiuere ut inde queant.
 Omnia quæ loquitur Dominus purissima uerba,
 Et sunt argento candidiora nouo.
 Argento, flammis cui quicquid adhæsit ademptū est,
 Quod focus ipse probum terq; quaterq; docet.
 At tu conseruare tuos dignabere, diuim
 Maxime, tu custos optimus esse potes.
 Eripe perpetuo nos hac ab stirpe malorum,
 Sed placidus tantum cum feritate nihil,
 Vndiq; concurrunt & crescit turba malorum,
 Dum probrosi hominum sceptrasuperba tenent.

Promissio Ec-
 clesie quod ue-
 lit Deus con-
 seruare uerbū
 suum.

Encomium uer-
 bi Dei cum in-
 signi precatio-
 ne.

Sic uocat impi-
 os doctores. Si-
 milit sententia
 in Prouerbijs:
 Cum cessabit
 propheta dis-
 sipabitur po-
 pulus.

P S A L M V S XIII.

Vsq; quo Domine obliuisceris.

A R G V M E N T V M.

Est elegantissimus Psalmus, qui continet
 uehementem & affectibus plenam precatio-
 nem contra spiritum tristitiæ, & animi mor-
 rorem, qui aut peccatum aut pœnam pecca-
 ti sequi solet, De hac tentatione sapiens: Spi-
 ritus tristis exiccat ossa.

Quam